DE THILO CUSTODE FERRIVIAE

FABULA NOVELLA **GERHARTI HAUPTMANN** (1887)
A **NICOLAO GROSS**
E THEODISCO IN LATINUM SERMONEM CONVERSA

LINEMAN THIEL

A NOVELLA WRITTEN BY GERHART HAUPTMANN (1887)
TRANSLATED FROM GERMAN INTO LATIN
BY **NIKOLAUS GROSS**

BAHNWÄRTER THIEL

EINE NOVELLE VON GERHART HAUPTMANN (1887)
AUS DEM DEUTSCHEN INS LATEINISCHE ÜBERSETZT
VON **NIKOLAUS GROSS**

GERHART HAUPTMANN (1862-1946)

DE THILO CUSTODE FERRIVIAE, fabula novella anno 1887 a Gerhart HAUPTMANN sub titulo q.e. *Bahnwärter Thiel. Novellistische Studie* (i.e. Studiolum novellisticum) Theodiscê conscripta, anno 1997 a Nicolao Groß in Latinum conversum.

I

Omni die Dominico Thilus custos ferriviae sedit in ecclesiâ vici *Neu-Zittau,* exceptis iis diebus, quibus officio functus est aut aegrotus lecto tentus. Spatio decem annorum bis aegrotaverat: primo propter carbonem e carro carbonario machinae vectoriae elapsum, quo ictus pede diffracto deiectus erat in fossam ferriviariam: iterum propter lagoenam vinariam, quae e citato tramine praetercurrente volaverat medium in pectus. Praeter haec infortunia, quandocumque vacuus, nullâ re ab ecclesiâ prohibitus erat.

Prioribus quinque annis ei sôli eundum fuerat a *Schön-Schornstein,* coloniâ ad Spraviam sitâ, ad *Neu-Zittau.* Aliquo die Thilus apparuerat comitante mulierculâ tenui atque imbecillâ, quae diceretur parum quadrare ad Thili staturam Herculeam. Altero laeto die Dominico eidem mulieri ad altare ecclesiae sollemniter manum dedit ad foedus in vitam faciendam. Per duos autem annos iuvenis fêmina tenera iuxta eum sederat in scamno ecclesiae; per duos annos eadem subtili facie, mâlis macilentis, iuxta virum facie coloratâ insignem inspexerat cantualem librum pervetustum - ; cum subito custos ferriviae denuo solus sedit, ut antea.

Aliquo e diebus praeteritis sonuerat campana funebris; ita factum erat.

In custode affirmabatur vix aliquid mutatum esse. Botones puri vestimenti Dominici tam bene nitidati erant quam umquam antea, capilli eius rufi tam bene oleati militarique more sulcati quam semper, praeter id, quod latam cervicem capillatam aliquanto demissius ferebat etiamque studiosius homiliam auscultabat et cantabat quam prius haec fecerat. Itaque res erat in eâ opinione, ut homines putarent eum mortem uxoris non nimis molliter tulisse; quae opinio eo firmata est, quod Thîlus anno transacto iterum mulierem duxit, bacciballum enim crassum et robustum, ancillam bubulcam e vico *Altegrund* oriundam.

Ipse parochus sibi visus est quadamtenus dubitare de connubio a Thilo annuntiato:
»Nuncin' iam vis alteram mulierem ducere?«
»Cum mortua non possum curare rem familiarem, Domine praedicator!«
»Hem, rectê quidem. Sed opinor - paululo nimium festinas.«
»Alioquin puer mihi peribit, Domine praedicator.«
Uxor Thili ex partu perierat et puer, quem pepererat, superstes appellatus erat *Tobias*.

Parochus *»Ah«* inquit *»ita, ille puer«,* sic se movens, ut clarê appareret se nunc demum puerum recordari. *»Si res sic se habet - ubinam tenes eum collocatum, dum officium geris?«-*

Nunc Thilus narravit, quomodo Tobiam tradidisset aniculae, quae, quâ esset negligentiâ, eum aliquando paene sivisset comburi, alias eum ex aniculae gremio hŭmum devolutum esse, sed feliciter factum, ut praeter magnum tuber nullum

damnum contraheret. Talia ne pergerent fieri, Thilus dixit, praesertim cum puer pro suâ imbecillitate curâ egêret diligentissimâ. Quae cum ita essent et cum ipse uxori morituae dextram fidemque dedisset se pueri saluti semper optimê prospecturum esse, se hoc consilium cepisse.

Novum par coniugale, quod nunc omni die Dominico ad ecclesiam veniebat, ab hominibus, quantum pertinuit ad formam, nullo modo reprobatum est. Mulier prius opere ancillae bubulcae functa ad custodem videbatur esse aptissima. Vix dimidio capite brevior erat quam custos eundemque membrorum amplitudine superavit. Facies quoque mulieris tam solida erat quam vĭri, sed contra ac facies custodis nullum indicavit sensum humanitatis.

Si Thilus optaverat, ut uxor sua altera esset operaria durissima, oeconoma praestantissima, hoc optatum mirum in modum est expletum. At idem nescius una cum muliere tria susceperat: animum durum dominandique cupidum, rixandi cupiditatem, saevamque lubidinem.

Dimidio anno transacto toto in vico nôtum erat, quis in domunculâ custodis regimen teneret. Feliciter *excetrae* successisse, ut maritum acciperet Thîlum agno mansuetiorem, mariti dicebant indignati, esse quosdam, a quibus illa atrocissimê offenderetur. Talem *»megaeram«* domandam quidem esse, ni aliter, verberando. Mulcandam esse istam, ita quidem, ut doleret.

Sed Thilus, quamvis esset bracchiis nervosis, non erat talis vir, ut mulcaret mulierem. Id, de quo homines indignabantur, ei parum molestum esse videbatur. Qui convicia uxoris infinita tacitus sinebat praeterfluere, si quando respondebat, Thili sermonis tarda progressio atque sonus submissus frigidusque mirum in modum contrarii erant quiritanti clamitationi uxoris suae.

A rebus externis is parum infestari posse videbatur, quasi quid sibi esset, quo omnia mala ab iis illata largê compensarentur bonis.

Adversus phlegma suum invictum quibusdam momentis temporis ipse custos non sinebat se ludibrio haberi. Quae momenta semper pertinuerunt ad Tobiolum. Tum custos loco solitae innocentiae puerilis et obsequentiae tantâ erat firmitate, ut ipsa Lena dominandi cupida non auderet resistere. Sed momenta temporis, quibus hanc indolem animi sui panderet, etiam atque etiam rariora denique prorsus non iam fuerunt.

Cum primo anno quadam cum patientiâ restitisset Lenae cupidini dominandi, altero anno idem desiit hoc facere. Non iam solitâ cum animi aequitate profectus est ad officium gerendum, cum illa in se invecta esset, nisi antea eam placaverat. Denique haud raro se demittebat ad eam rogandam, ut sibi reconciliaretur. - Statio custodiae mediâ in silvâ pinuum Marchiensi sita non iam erat sedes ei dilectissima. Quandocumque tranquillam et devotam colebat memoriam uxoris mortuae, subito interruptus commonefiebat uxoris viventis. Non refragans, ut primo tempore, domum profectus est, sed festinanti cum cupiditate, postquam saepe numeraverat horas et minutas usque ad officium absolvendum.

Îdem, qui cum primâ uxore coniunctus erat amore magis spirituali, immanibus lubidinibus redactus est in potestatem uxoris alterius, ut denique eidem mulieri omnibus ferê in rebus fieret prorsus obnoxius. - Interdum propter res sic mutatas conscientiâ morsus egebat variis subsidiis extraordinariis, quibus se consolaretur. Ita casulam suam custodiariam ferriviamque a se curandam clam declaravit terram sanctam, quae nemini dedicata esset nisi Mânibus mortuae. Variis rebus praetextis reverâ ei contigerat, ut uxorem inhiberet, ne se illuc comitaretur.

Sperabat se hoc etiam in futurum facere posse. Uxor enim nesciebat, quo sibi esset proficiscendum, ut »capannam«, cuius ne numerum quidem sciebat, inveniret.

Eo quod Thilus spatium temporis sibi promptum sciebat religiosê distribuere inter viventem et mortuam, se conscientiâ morsum reapse tranquillabat.

Saepe quidem, praesertim momentis, quibus solus memoriae devotus cum mortuâ erat coniunctus, Thilus luce veritatis videns, qualis nunc ipse esset, taedio afficiebatur sui ipsius.

Si officio fungebatur diurno, cum spiritu mortuae non communicabat nisi recordabatur multas res iucundas, quas unâ cum illâ expertus erat. Sed in tenebris, si aer procellis nivosis per pinûs trans ferriviam propellebatur, nocte intempestâ e custodis casulâ lumine lanternae illuminatâ factum est sacellum.

Photographemate uxoris mortuae decolori in mensâ sibi proposito, libris cantionum atque precationum apertis, recitabat et cantabat interdum per totam noctem, non interruptus nisi traminibus per intervalla praetercurrentibus, quo animus eius tam vehementer excitaretur, ut putaret a se videri mortuam ipsissumam.

Custodia autem, quâ Thilus iam decem annis integris continuo functus est, dissita et remota cum esset, apta erat ad fovendam custodis propensionem mysticam.

Capanna versus omnes venti directiones ab omni habitaculo humano disiuncta itinere minimum dodrantis horae sita erat medio in foresto, proximê ad transitum ferriviae, cuius cancelli custodi erant administrandi.

Aestate dies, hieme septimanae praeteribant, quin quivis pes humanus, excepto custodis eiusque collegae, hanc ferriviam praetergrederetur. Hac in vastâ solitudine ferê nihil variabatur nisi tempestas temporaque anni. Ceteri eventûs (exceptis duobus infortuniis), quibus negotium Thili solitum interruptum erat, facile in uno conspectu poni potuerunt. Quattuor annis ante praetercurrerat Imperiale tramen extraordinarium, quo Imperator Vratislaviam vectus erat. Nocte quadam hiemali tramine citato capreolus est obtritus. Die aestatis aestuoso Thilus ferriviam recognoscens invenerat lagoenam vini cortice subereo obturatam, quam fervidissimam putavit continere vinum valdê bonum, quia cortice remoto ebullivit instar scaturiginis, ergo evidenter erat fermentatum. Quae lagoena a Thilo in margine lacûs silvestris vadoso deposita, ut refrigesceret, inde quoquo modo ablata erat, ut custos annis quoque post doleret.

Custos quadamtenus tempus terere poterat puteo post casulam sito. Inde interdum operarii ferriviarii aut telegraphici in propinquo laborantes hauriebant aquam potandam, quâ occasione scilicet intermissum esse breve colloquium. Saltuarius quoque interdum adveniebat, ut sitim expleret.

Tobias lentê tantum crescebat; secundo demum anno aetatis suae didicit aliquatenus loqui et ire. Patrem autem a se eximiê diligi demonstrabat. Quo prudentior fiebat, eo magis patris amor vetustus resuscitabatur. Quo magis pater amabat Tobiam, eo minus îdem amabatur a novercâ suâ, immo amor eius mutatus est in aversionem manifestam, cum Lena proximo anno praeterito ipsa peperisset puerum.

Inde Tobiae incohatum est tempus malum. Qui praecipuê patre absente continuo vexabatur et cogebatur, ut ne minimâ quidem mercede vires suas exiguas adhiberet infantuli clamosi gratiâ, quo magis magisque consumeretur. Eius caput insolito auctum est; capilli igneo rubore et facies cretaceâ albedine parum erant conspicui, additâ reliquâ staturae formâ flebili perquam miserabiles. Tobias parum adolescens tali cum esset staturâ, parvo fraterculo praevalido bracchiis imposito si corpus suum fessum trahebat ad Spraviam, homines solebant conviciari, sed hoc non ausi sunt nisi post casarum fenestras. Thilus autem, ad quem haec res praecipuê spectabat, videbatur eandem non animadvertere neque intellegere res sibi a vicinis benevolis indictas.

II

Mâne aliquo mensis Iunii sub horam septimam Thilus labore finito domum revertit. Eius uxor salutatione vix finitâ coepit more solito lamentari. Locatio, quâ familia usque nunc acceperat poma terrestria sibi necessaria, septimanis ante erat renuntiata, neque Lenae adhuc contigerat, ut inveniret rem, quâ hanc iacturam compensaret. Quamvis officium agri curandi ad se ipsam spectaret, Lena verbis non parcebat, quibus iterum iterumque Thilum accusabat, quod neminis nisi eius culpâ effectum esset, ut hôc anno decem sacci pomorum terrestrium magnâ pecuniâ essent emendi. Thilus fremens tantum, Lenae sermonem parum respiciens, se contulit ad filii sui maioris lectum, quem noctibus, quibus non gerebat officium, cum filio communicabat.

Illuc delapsus miti facie suâ curiosê contractâ puerum aspectabat dormientem, quem muscis molestis paulisper fugatis denique excitavit. E pueri expergiscentis oculis caeruleis demissis eminuit gaudium flebile. Qui properê apprehendit manum patris, dum anguli oris sui distracti sunt in subrisionem miserabilem. Custos statim adiuvit puerum pauca vestimenta induentem; tum subito vultus eius obumbratus est, cum animadverteret nonnulla vestigia digitorum buccae filii paulum tumidae impressa.

Cum ientarent, Lena etiam studiosius rediit ad rem oeconomicam antea memoratam: tum Thilus eius sermonem interrumpens enuntiavit a magistro ferriviae sibi gratis concessum esse agellum, quia îdem illi, sicut dixisset, nimis remotus esset.

Quod Lena primo noluit credere. Paulatim et gradatim desiit dubitare, ut evidenter exhilararetur. Lena avidê iterum iterumque e custode quaerebat, quantus et qualis esset ager et cetera, et cum accepisset insuper agro inesse duas arbusculas pomiferas, Lena gaudio paene deliravit. Cum nihil restaret quaerendum et tintinnabulum ianuae tabernariae (quod, ut obiter dicamus, omni in domo vici audiri poterat), non desineret tinnire, raptim profecta est, ut rem novam in viculum effunderet.

Cum Lena intraret tabernam mercibus abundê repletam, custos domi nihil faciebat nisi cum Tobiâ conversabatur. Puer eius genubus insidens ludebat nonnullis pinuum nucamentis, quae Thilus e silvâ secum attulerat.

»Quod officium vis gerere?« Pater sic interrogare solebat ut puer respondere: *»Velim fieri magister ferriviae.«* Quod Thilus non per iocum interrogabat, nam somnians sibi animo tanta fingebat, ut re verâ optaret et speraret Deo adiuvante Tobiam evasurum esse hominem extraordinarium. Ubi primum illa verba *'magistri ferriviae'* venerunt de parvuli labiis exsanguibus, quem scilicet nescivisse, quid significarent, Thilus vultum diffudit, dum renideret summâ beatitudine.

»I Tobia, abi lusum!« brevi post dixit, cum fumaculum tabaci accendit ramento igne foci accenso. Parvulus autem mox gaudio verecundo per ianuam se compegit. Thilus se exuit, cubitum iit, obdormivit, postquam per tempus quoddam lacunar conclavis humile et rimosum cogitabundus aspectavit oculis duris. Sub horam duodecimam meridianam experrectus se induit et, cum uxor clamans prandium praeparabat, exiit ad viam stratam, ubi mox incidit in Tobiolum, qui calcem digitis e foramine muri scalptam sublabrabat. Custos manu comprehensâ cum filio octo ferê domos viculi praetergressus descendit ad Spraviam, quae nigra et vitrea sita erat inter pôpulos parum frondosas. Proximê ad marginem aquae fuit saxum graniticum, in quo Thilus consedit.

Omnes incolae viculi consueverant eum ibi conspicere, si tempestas quoquomodo tolerabilis erat. Praecipuê parvuli eum perquam dilexêrunt, appellabant *»Patrem Thilum«* et ab eodem instituebantur variis lusibus, quos recordatus est se ipsum lusisse aetate puerili. Optimos autem omnium, quos recordatus est, destinabat Tobiae, cui ex ligno exsculpebat sagittas; quae altius volabant quam sagittae aliorum puerorum. Cui exsecabat pipulas saliceas neque recusabat, quin voce suâ fuscâ et asperâ cantaret carmen incantatorium, cum corticem corneo manubrio cultri portabilis submissê pulsabat.

Homines reprobare solebant tales ineptiolas: non intellexerunt, quare ille tam enixê conversaretur cum parvulis lacticulosis. Sed convênit illos contentos esse, nam parvuli sub Thili tutelâ bene custodiebantur. Praeterea Thilus cum iis etiam seria agebat, maiorum natu pensa scholaria audiendo probabat eosdemque adiuvabat in versibus bibliae et libri cantionum ediscendis et unâ cum minoribus singulas litteras recitabat: *»ab, a-b, du du«* et cetera.

Post prandium custos iterum ibat breviter cubitum. Meridiatione finitâ cafeam merendae bibebat et brevi post se praeparabat ad officium gerendum. Ad hanc rem, sicut ad omnes res gerendas, custos egebat multo temporis, omnem motum manûs ex annis exercuerat; semper eodem ordine res in armariolo nucino diligenter dispositas, cultrum, adversaria, pectinem, dentem equinum, vetus horologium capsulae inclusum, in vestium sacculos ingerebat.

Parvum libellum rubrâ chartâ involutum peculiari cum diligentiâ tractabat. Huic libello, quem nocte sub cervicali positum habebat, ductu litterarum inhabili, sed ornato, manu Thili inscripta erant verba: *»Tobiae Thili libellus comparsorum«.*

Horologio parietali, quod erat pendulo longo cifrarumque laminâ icterinâ instructum, indicata erat hora quarta cum dodrante, cum Thilus proficisceretur. Parvâ lintre, quam possedit, flumen transvectus est. In ripâ Spraviae ulteriore aliquoties in loco constitit auribus in viculum retroversis. Denique gradu in latam semitam silvestrem flexo paucis minutis post fuit medio in foresti pinuum altê stridenti, cuius multitudo acicularum similis erat livido mari undanti. Umidos muscos et aciculas solo silvestri instratas inaudibiliter quasi materiam coactilem transgressus est. Invênit viam oculis non sublatis, hîc per columnas silvae altae ferrugineas, illîc perrexit migrare per ligna iuvenilia artê inter se complexa, etiam per culturas arborum latâs, singulis pinubus altis et procêris obumbratas, quae relictae erant ad prolem tutandam. Ex humo exhalabatur nidor caeruleus, pellucidus, variis fragrantiis impraegnatus, ut formae arborum viderentur dilutae esse. Caelum erat grave, lacteum, valdê demissum super arborum cacumina. Cornicum agmina quodammodo balneabant in aëre câno, indesinenter êdentes crocitationes suas crepitantes. Salebrae nigris lacullis aquaticis completae turbidam plagam caeli reddiderunt etiam turbidiorem.

‚En tempestatem horribilem', Thilus cogitavit, cum multis secum animo volutatis excitatus suspexit.

Sed subito mens eius ad alia abducta est. Thilum suboluit se aliquid domi oblîtum esse. Reverâ sacculis perquisitis desideravit quadram panis butyratam, quam propter tempus officii longum secum ferre necessarium erat. Dubiâ mente aliquantisper in loco constitit; tum subito conversus in vicum properavit. Brevi Spraviam assecutus transvectus sudore perfusus statim ascendit ad stratam viculi paulo acclivem. Vetus sordidus canis aquaticus tabernarii mediâ in viâ cubabat. In saepimento plancarum picato casulae rusticae sedebat cornix nebulosa. Quae pennas dilatavit, quassa est, capitis motu nutavit, crocitavit sono aures perstringenti, surrexit plausu alarum sibilanti, ut vento propelleretur versus silvam.

Nemo incolarum parvae coloniae, viginti ferê piscatorum et operariorum silvestrium cum familiis suis, est conspectus.

Silentium voce clamosâ tam vehementer atque stridulê interruptum est, ut custos invitus cursum sisteret. Soni inepti et asperi vehementer erupti aures eius offenderunt; qui venire visi sunt e fenestrâ fastigii apertâ domunculae humilis ei admodum bene nôtae. Sonos graduum deminuens, quantum potuit, clam appropinquans nunc prorsus distinctê cognovit vocem uxoris suae. Paucis etiam gradibus cum accessisset, pleraque verba mulieris intellexit.

»Quid tu, furcifer, immisericors, crudelissime, vin' tu infantulum miserrimum famelicum clamando ramices rumpere, quid? - heus, exspecta, te docebo, quomodo attendas, ut recorderis!«

Per nonnulla momenta temporis silentium erat; tum sonus auditus est similis vestimentîs expulsandis; postea statim erupta est nova grando maledictorum.

»Tu miserabiliter lacticulose« celerrimê domo clamatumst *»censen' me sinere pupillum a me partum fame perire propter talem beluam, qualis tu es?« - »Opprime ôs!«* clamatumst, cum audiretur vagitus submissus, *»aut accipies tantum, ut doleas per octo dies.«*

Nec desitum est vagiri.

Custos sensit cor suum palpitare carptim et graviter. Coepit submissê tremere. Oculi eius in solo defixi erant, quasi esset mente alienatus, antiae madidae compluries sunt semotae manu durâ et compactâ.

Gradibus temerariis custos intravit andronem domûs angustum, lateribus stratum. Fatigatus lentê ascendit per scalas ligneas crepitantes.

»Phy, phy, phy!« perrectum est clamari; simul auditus est aliquis ter cum omnibus signis contemnendi exspuens. *»En te puerum miserabilem, insidiosum, versutum, malignum, ignavum, impudentissimum!«* Quae verba unum aliud secuta sunt accentu augescente, voce verba êdente interdum labore scissâ. *»Vin' tu caedere filium meum, quid? Tun' pubeda perdite audes miserum infantem inopem alapare? - quid? - heus, quid? - Caveo tantum, ne inquiner tui causâ, alioquin - ...«*

Hôc momento temporis Thilus aperuit ianuam mediani, quo mulier territa finem sententiae modo incohatae devoraret. Quae irâ incensa erat cretâ pallidior; cuius labia malignê palpitabant; dextram sublatam demisit et apprehendit ollam lactis, e quâ conabatur lagunculam infantis complere. Tamen ab hôc labore destitit semiperacto, quia maxima pars lactis super collum lagunculae in mensam fluebat, excitatione sui prorsus non compos modo hoc modo illud comprehendens nihilque diutius retinens et tandem animum ita collegit, ut vehementer in maritum inveheretur, quid hoc sibi vellet, quare domum veniret tempore tam insolito, num suum sermonem clam aucupare vellet. *»Hoc«* inquit *»esset pessimum«,* addens suam conscientiam bonam esse neque sibi coram quocumque oculos esse demittendos.

Thilus vix audivit verba uxoris. Obiter oculis perstrinxit Tobiolum lacrimantem. Momento temporis visus est retinere orientem sensum animi horribilem; tum vultûs eius constricti subito remolluerunt vetere phlegmate, quod oculis clandestinâ cupiditate emicantibus mirum in modum animatum est. Per atomos temporis lascivê aspexit torosa membra uxoris, quae facie aversâ adhuc hîc illîc agitans studuit animum colligere. Mulieris mammae uberes seminudae excitatae ita intumescebant, ut mammilare ferê dirumperetur, et gunnis mulieris sublatis coxendices latae visae sunt etiam latiores. Huic mulieri videbatur quaedam vis esse inexsuperabilis et inevitabilis, cui Thilus sensit se esse imparem.

Vir circumnexus est re tam levi quam telâ araneae, tamen tam firmê ei circumvoluta quam rete ferreum, lassans, vinciens, vincens. Quo in statu nullum prorsus verbum ad eam facere potuit, minimê autem asperum; quo factum est, ut Tobias lacrimis perfusus et anxius in angulo sedens videret patrem se non respicientem quadram panis oblitteratam loco responsi de scamno fornacis sumptam matri obtendere et capite breviter demisso mente alienatum mox abire.

III

Thilus, quamvis iter in solitudinem silvestrem fecisset quam festinantissimê, tamen quindecim minutis post tempus solitum advênit locum sibi destinatum. Custos secundarius, cum in officio gerendo evitari non posset, quod temperatura celeriter mutaretur, tabe affectus vicissim cum Thilo officio fungens, stetit iam paratus ad proficiscendum in areolâ arenosâ casulae, cuius numerus magnus niger albo inscriptus latê lucebat per stipites arborum.

Ambo viri manibus complexis, nonnullis rebus breviter enuntiatis disiuncti sunt. Unus iniit capannam, alter viam transversam, illâ viâ continuatâ usus, quâ Thilus venerat.

Audita est eius tussis convulsiva primo in propinquo, deinde e longinquo per stipites, tum obmutuit hic unicus sonus humanus in vastâ solitudine. Thilus, ut semper, sic hodie quoque coepit angustam structuram lapideam quadrangulatam capannae custodiariae suo more parare ad usum nocturnum. Quod fecit automati instar, cum animus suus rebus occupatus esset, quas expertus erat horis praeteritis. Cenam suam deposuit in mensâ angustâ, pigmento fusco illita ad unam ex duabus fenestris lateralibus rimis similibus, e quibus ferrivia commodê poterat aspectari. Deinde in parvâ fornaculâ ferrugineâ ignem accendit eidemque imposuit ollam aquâ frigidâ completam. Instrumentis, vatillo, palâ, retinaculo et ceteris, aliquatenus ordinatis coepit purgare suam lanternam, quam simul complevit petroleo recenti.

His confectis campana ternis sonis stridulis repetitis nuntiatum est tramen Vratislaviâ emissum esse e statione proximâ. Nullo modo festinans Thilus per moram quandam remansit in capannâ, tandem vexillo perâque embolorum manui impositis lentê foras iit et meatu inerti et stridulo super angustam semitam arenosam se promovit, versus transitum ferriviae viginti ferê gradibus remotum. Cancelli a Thilo claudi atque aperiri solebant ante et post omne tramen praetercurrens, quamvis via raro tantum ab aliquo transversaretur.

Labore nunc finito iuxta nigro-album contum cancellorum tramen exspectavit.

Ferrivia utrimque in directum exsecta est infinitâ forestî viridi; utroque latere moles acicularum quasi regestae sunt intra se angiportum relinquentes, qui completus est aggere ferriviae castaneo et silicibus consperso. Orbitae ei impositae universae similes erant ingenti maculae retiariae, cuius fila angusta in meridie et septentrione extremo unum in punctum horizontis contracta sunt.

Vento exorto lenes undae praeter marginem silvae in longinquum depulsae sunt. E contis telegraphicis iuxta ferriviam positis editi sunt concentûs bombisoni. In filis metallicis, quae tamquam in telâ araneae giganteae ab uno conto ad alium nexa erant, densis ordinibus sedebant catervae avium zinzilulantium quasi agglutinatae essent. Picus ridens Thili caput transvolavit neque semel quidem respexit.

Sole, qui modo sub margine ingentium nubium dependebat in mare cacuminum atro-viride delapsurus, silvae sunt offusa fluenta purpurea. Stipites pinuum ultra aggerem siti quasi intra se accensi tamquam ferrum ardore candebant.

Etiam orbitae excanduerunt similes igneis serpentibus, sed eaedem primae sunt exstinctae; et nunc ardor lentê humo sursum ascendit, primo scapos pinuum, deinde maximam partem in frigido lumine lurido relinquens, denique extremam tantum marginem cacuminum nitore rubido stringens. Quod spectaculum excelsum agebatur tacitê atque sollemniter. Custos autem adhuc stetit immotus ad cancellos. Tandem gradu prodiit. Punctum obscurum in horizonte, ibi, ubi orbitae inter se convenerunt, augebatur. Quamvis a secundâ ad secundam crescens, hoc punctum tamen videbatur uno loco constare. Subito commotus se appropinquavit. Orbitae vibrantes et bombizantes commotae sunt, clangore rhytmico, strepitu fusco, qui etiam etiamque augescens denique haud absimilis fuit ungulis equorum accurrentis agminis procellosi quatientibus.

E longinquo carptim per aëra anhelitûs atque fremitûs intumescentes ferebantur. Tum subito silentium diruptum est. Stridore strepitûque furioso spatium completum est, orbitae sunt incurvatae, tremuit tellus - aëre fortiter premente nubes pulveris, vaporis, nidoris coorta - praetercurrerat nigrum monstrum anhelans. Soni ut aucti erant, ita paulatim et gradatim restincti sunt. Nidor dilapsus est. Tramen ad punctum redactum procul evanuit, ut angulus silvae iterum tegeretur vetere sancto silentio pristino.

»Minnam« custos susurravit tamquam e somnio excitatus et rediit ad capannam suam. Tenui cafeâ coctâ consedit durisque oculis interdum sorbillans spectabat in scidam chartae actorum diurnorum sordidam, quam alicubi iuxta ferriviam invenerat.

Paulatim et gradatim afficiebatur mirâ sollicitudine.

Quam putavit eo effectam esse, quod cellula calebat tamquam furnus, raptimque aperuit vestem bracasque, ut commodius se haberet. Cum hoc nihil prodesset, surrexit, palâ ex angulo sumptâ se contulit ad agellum sibi donatum.

Qui agellus fuit lacinia harenae angusta, malis herbis luxuriosis obsita. Rami autem ambarum arbuscularum pomiferarum agello insitarum obtecti erant iuvenilibus floribus decorissimis tamquam spumâ niveâ.

Thili animum subierunt tranquillitas placidaque voluptas.

‚Age laboremus'.

Pala stridulê incisa est humo: glaebae umidae sono fusco sunt relapsae et friatae.

Aliquamdiu fodit sine intermissione. Tum subito constitit, cum voce magnâ et intelligibili, severê caput huc illuc agitans: *»Non«* inquit *»non, hoc ne fiat.«* Iterumque: *»non, non, hoc ne fiat.«*

Subito ei in mentem venerat Lenam nunc saepius illuc venturam esse, ut agrum coleret, quo modus vivendi sibi solitus graviter perturbaretur. Itaque gaudium agri accepti repente mutatum est in taedium. Properê, quasi quid iniustum facturus fuisset, palam ex humo ereptam reportavit ad capannam. Ibi Thilus iterum coepit muginari stupore oppressus. Vix scivit, quare, sed quo magis conabatur sustinere, quod Lena apud se erat futura per dies integros, eo minus hoc poterat. Sibi videbatur defendendum esse aliquid, aliquis attacturus esse rem sibi sanctissimam, ut invitus tenderet musculos suos levi convulsione, cum e labiis eius excuteretur risus brevis petulansque. Quo risu reddito territus oculos sustulit, ut animus averteretur a re consideratâ. Quam repertam iterum iterumque perscrutabatur.

IV

Subito autem ei aliquid denso aulaeo nigro simile diruptum est in duas partes, ut oculis obumbratis claritas afferretur. Repente sibi visus est expergisci e somno bienni mortis simili et nunc incredulus caput concutiens omnia illa horrifica considerare, quae ipse hôc statu videretur commisisse. Animum eius clarê subiit historia calamitatum filii sui maioris natu, quam intellexit tam malam esse, ut rebus modo se visis non etiam peior fieret, sed sôlum confirmaretur. Thilus correptus est misericordiâ et paenitentiâ; eum puduit, quod per hoc spatium temporis contumeliosum patienter vixerat neque adiuverat carum animantem auxilii inopem, immo, ne tantum quidem valuerat, ut sibi confiteretur, quantum ille doleret.

Cum ipse cruciaretur propter negligentiam suam, graviter fatigatus est, ut obdormiret dorso incurvo, fronte manui, manu mensae impositâ.

Paulisper sic cubuerat, cum voce praeclusâ nomen »Minnae« exclamavit. Aures Thili fremitu et stridore completae sunt, tamquam aquis ingentibus; circa eum tenebrae factae sunt; oculos raptim aperuit, experrectus est. Eius membra volitabant, omnes pori sudore angoris pervasi sunt, pulsus carptim fiebat, facies erat lacrimis madida.

Nox tenebris erat obducta. Thilus voluit oculos in ianuam convertere, sed nescivit, quo iidem sibi vertendi essent. Titubans surrexit, non desiit angi animo. Foris silva tamquam aestus maritimus fremebat, fenestris casulae obiciebantur grando et imber vento huc illuc acti. Thilus consilii expers circumiecta manibus explorabat. Momento temporis sibi visus est aquis submergi – tum subito caelum flagravit flammâ caeruleâ, quasi guttae luminis supraterreni in atmosphaeram terrae obscuram delapsae statim restinguerentur.

Haec flamma momento tantum temporis flagrans suffecit, ut custos resipisceret. Lanternam capturus feliciter comprehendit; quo momento temporis in nocturno caelo Marchiae extremo excitata sunt tonitrua. Primum sono fusco et remisso eadem murmurantia propius volvebantur brevibus undis aeneis aestuantibus, usque dum ad ingentes ictûs aucta tandem erumperentur stridentia, strepentia, percutientia, totamque atmosphaeram superfundentia.

Quadrae fenestrarum vitreae striderunt, terra contremuit.

Thilus lumen accenderat. Cum resipuisset, primo horologium respexit. Vix spatium quinque minutarum fuit inter tempus praesens et adventum traminis citati. Quia putavit signale se praeteriisse, adversus tempestatem et tenebras se contulit ad cancellos, quos claudendos cum adhuc curaret, sonuit campana signalis.

Vento discissi sunt eius soni et dispersi in omnes directiones. Pinûs incurvabantur ramis formidabili cum crepitu et quiritatione inter se contritis. Momento temporis apparuit luna instar patinae aureolae nubibus interposita. In eius lumine visa sunt pinuum cacumina nigra vento volutari. Betullarum folia pendula circumagitabantur et circumvolitabant tamquam caudae equorum phantasmaticae. Sub iis sitae erant lineae orbitarum, quibus umore splendentibus inhauriebantur singulae maculae lucis lunae luridae. Thilus pileum raptim de capite traxit. Imber ei iucundus lacrimis mixtus faciei offusus est. Fervebat eius cerebrum; insomnia obscura unum aliud expulsabant.

Tobias ei videbatur vexari ab aliquo, tam atrociter, ut Thilo recordanti cor desineret palpitare. Aliud insomne Thili memoriae distinctius inhaesit. Viderat uxorem mortuam. Quae alicunde e longinquo venerat, in aliquâ ex orbitis ferriviariis. Aspectu fuerat admodum imbecilla, vestium loco pannis induta. Quae praeterierat Thili casulam nec conversa erat ad eandem aspiciendam et denique – hîc memoria eius incerta erat – illa aliquâ de causâ non progressa, immo compluries collapsa erat.

Thilus, cum perrexisset deliberare, scivit illam aufugisse. Procul dubio. Nam alioquin cur oculos angore cordis completos retrorsum coniecisset et perrexisset se protrahere pedibus ferê officio deficientibus? En oculos quam horribiliter in se coniectos!

At fuerat aliquid, quod illa secum tulerat, aliquid pannis involutum, aliquid flaccum, sanguineum, pallidum et modo, quo in idem spectaverat, Thilus commonefactus erat quarundam rerum praeteritarum.

Thilus cogitavit de muliere moriente, quae infantulum vix natum relinquendum continuo aspectaverat, dolore profundissimo, tormento incomprehensibili, illo vultu, quem Thilus haud minus oblîtus erat quam patrem et matrem.

Quo illa pervenerat? Nescivit. Hoc autem animum eius clarum subiit: se ab illâ repudiatum esse, se ab illâ non respectum esse, illam se protraxisse longius longiusque per noctem procellosam et tenebrosam. Se illam »Minnam, Minnam« appellasse; inde se experrectum.

Tenebrae pervasae sunt duobus luminibus rubris rotundisque tamquam oculis torpidis monstri ingentis. Quibus praeibat fulgor sanguineus, quo guttae pluviales propinquae mutarentur in guttas sanguineas. Videbatur cadere imber sanguinis.

Thilus formidine correptus quo magis tramen appropinquabat, eo magis angebatur; insomnia et res verê factae ei in unum confundi videbantur. Adhuc videbat mulierem in orbitis migrantem, manum perae embolorum admovens, quasi vellet sistere tramen rapidum. Feliciter accidit, ut nimis sêrum esset, nam ante Thili oculos luminibus iam huc illuc volitantibus tramen praetercurrit.

Reliquâ parte noctis Thilus officio suo functus est parum quietus. Urgebatur, ut domum iret. Desiderabat revidere Tobiam. Sibi videbatur per annos ab eo disiunctus esse. Denique de puero magis magisque sollicitatus compluries voluit officium relinquere.

Ad tempus terendum Thilus constituit, ut primâ luce ferriviam recognosceret. Itaque, cum sinistrae manui baculum, dextrae longam clavem cochlearum imposuisset, mox in dorso regulae ferriviariae ingressus est diluculum pullo colore obductum.

Interdum clave cochlearum paviculam astrinxit aut appulsavit aliquem e rotundis contis ferreis, quibus orbitae inter se coniunctae erant.

Imbre et vento deminutis inter strata nubium discissa hîc et illîc in conspectum venerunt partes caeli, quod erat diluti coloris caerulei.

Thilus paulatim tranquillatus est clangore monotono solearum metallum durum attingentium, addito sono arborum guttas quatientium somniculoso.

Horâ sextâ matutinâ, cum alter custos in eius locum successisset, sine morâ domum profectus est.

Fuit mâne diei Dominici magnificum. Nubes dispersae interea post horizontis ambitum delapsae sunt. Sol oriens instar ingentis adamantis sanguinei fulgens per silvam fundebat vastas massas luminis.

Fasces radiorum lucidi lineis acribus proiecti sunt per turbam stipitum; hîc inardescebat insula tenerorum filicum, quorum folia denticulis subtiliter textis erant similia, illîc lichênês argenteo-grisei ardore solari permutabantur in corallia rubra.

Ros igneus defluebat de cacuminibus, stipitibus, graminibus. Diluvium luminis videbatur terrae offusum esse. Aer tam recens erat, ut ipse animus permoveretur necnon post frontem Thîli imagines nocturnae paulatim pallescerent. Hôc autem momento temporis, quo conclave ingressus Tobiolum conspexit genis rubrioribus quam umquam antea in lĕcto aprîco cubantem, illae imagines prorsus evanuerunt.

Verum quidem! Die procedente Lena sibi videbatur compluries in eo animadvertere aliquid alienum; ita in sellâ ecclesiasticâ, cum non librum introspexit, sed Lenam limis oculis aspectavit, et circa tempus meridianum, cum, nullo verbo dicto infantem, qui, ut fieri solebat, a Tobiâ portandus erat in viam, de eius bracchio sumptum posuit in gremio Lenae. Praeterea autem in custode ne minimum quidem erat extraordinarium.

Thilus, quippe qui tempore diurno non potuisset dormire, quia septimanâ sequenti functurus erat officio diurno, nonâ iam horâ vespertinâ cubitum iit. Eo maxime tempore, quo erat obdormiturus, uxor ei annuntiavit se mâne sequenti unâ cum eo in silvam ituram esse, ut agrum pâlâ perfôderet et poma terrestria insereret.

Thilus membris convulsis prorsus excitatus tamen oculos firmê tenebat compressos.

Nullam esse moram, postea si agerent, poma terrestria non iam evadere utilia, Lena dixit et addidit oportere, ut liberos secum afferret, quia verisimile esset laborandum fore per totum diem. Custos fremuit nonnulla verba non intellegibilia, quae Lena sivit praeterfluere.

V

Lena a Thilo aversa cereo sebaceo lucente thoracium resolvit et gunnas demisit. Subito causae inscia cum se vertisset, conspexit luridam faciem cupiditatibus contortam mariti, qui ferê erectus mănibus margini lĕcti impositis eam aspectabat duris oculis ardentibus.

„Thile!“ mulier exclamavit et irata et territa, ut idem tamquam somnambulus nomine appellatus sopore solutus perturbatus nonnulla verba balbutiret, in pulvinos se reiceret, lodicem auribus obduceret.

Postridie mâne Lena prima e lecto surrexit. Sine strepitu omnia praeparavit necessaria ad excursionem faciendam. Parvulus minor impositus est chiramaxio, tum Tobias excitatus et indutus. Qui cum accepisset, quo profecturi essent, subrisit. Postquam omnia parata sunt et cafea prompta posita est in mensâ, Thilus somno solutus est. Aspectis omnibus rebus praeparatis primo iniucundê se habuit. Libenter voluit aliquid adnotare, sed nescivit, unde inciperet. Ceterum quas causas afferret, quae comprobarentur a Lenâ?

Tum paulatim vulticulus magis magisque renidens effectum habuit ad Thilum, ut denique ipsîus gaudii causâ, quod excursio effecit ad puerum, non iam posset cogitare de contradicendo. Nihilominus Thilus, cum silvam permigravêrunt, non mansit quietus. Idem chiramaxium laboriosê per harenam propulsabat, iniectis haud paucis floribus a Tobiâ collectis. Puer perquam hilaris erat. Qui fusco pileolo crispo induto inter filices circumsiliebat, paulum inhabili more studens captare libellulas vitreas alis instructas, quae filices supervolitabant. Ut primum homines casam advenêrunt, Lena agrum oculis perlustravit. Sacculum segmentis pomorum terrestrium, quae secum attulerat serenda, in marginem gramineam parvi betullêti iniecit, in genua procumbens harenam paulo obscuram perfundere sivit per digitos duros.

Thilus eam observavit animo suspenso: *„Hem ager, qualis est?“*

„Angulo Spraviae sanê haud peior!“ Inde custodis animus levatus est. Cum timuisset, ne Lena esset non contenta, sedatus scalpsit capillos barbae resectos.

Quadrâ panis properê comesâ mulier panno iaccâque abiectis coepit fôdere, mâchinae celeritate et perseverantiâ.

Certis spatiis temporis interiectis surrexit magnisque haustibus aerem suspiravit, sed momentis tantum, nisi parvulus erat lactandus, quod festinanter fiebat pectore anhelanti, sudore destillante.

„Ferrivia est mihi obeunda, Tobiam mecum ducam“ custos ad eam vocavit aliquanto post ex areolâ ante capannam sitâ.

„Nequaquam – gerrae!“ illa reclamavit, *„quis manebit apud parvulum? – Veni huc!“* etiam maiore voce addens, cum custos quasi non iam audiret, abiit cum Tobiolo.

Primo momento temporis Lena deliberavit, num illum currendo sequeretur neque aliâ causâ ab hac re abstinuit nisi iacturâ temporis evitandâ. Thilus cum Tobiâ ferriviam

praeteribat. Parvus haud parum excitatus erat; omnia ei erant nova et aliena. Non intellexit, quid valerent angustae, nigrae orbitae lumine solis calefactae. Non desiit interrogare varia atque insolita. Perquam mirabilis ei videbatur tinnîtus mâlorum telegraphicorum. Thilus autem noverat tonos omnium mâlorum regionis suae, ut oculis clausis semper sciret, qua in parte ferriviae versaretur.

Manu datâ Tobiam ducens saepe consistebat in loco, ut auscultarent sonos mirabiles, qui e ligno effluebant tamquam cantûs chorales mediâ ex ecclesiâ. Contus in fine regionis officialis meridionali statutus sonabat concentu perquam pleno et pulchro. Cui conto medio inerat turba tonorum, qui sine pausâ tamquam uno spiritu pergebant sonare, et Tobias lignum adesum circumcursabat, ut, sicut sibi videbatur, inveniret effectores concentûs tonorum amabilis. Custos affectus est piâ quadam animi inclinatione, similiter ac in ecclesiâ. Praeterea paulatim a ceteris distinxit vocem, qua commonefactus est uxoris mortuae. Animo finxit concentum fieri spirituum beatorum, quibus mulieris quoque vox intermisceretur, qua animi fictione et effectum est tantum desiderium, tanta commotio animi, ut lacrimaret.

Thilus Tobiae flores seorsim in silvulâ betullarum natos petenti, sicut semper, concessit. In solo silvulae flosculi caerulei tam mirabiliter condensati erant, ut eodem delapsa esse viderentur fragmenta caeli caerulei. Papiliones vexillis versicoloribus similes sine ullo sono volitabant inter stipites candore nitidos circumagitati, cum leni stridore commovebantur betullarum summarum folia viridiola in formam nubium conglobata.

Tobias flores carpens aspectabatur a patre cogitabundo. Interdum postremus etiam oculis sublatis per lacunas foliorum quaerebat caelum, quo tamquam patinâ giganteâ coloris caerulei prorsus immaculatâ lumen sôlis aureum receptum erat.

„Heus pater, estne hic Deus carissimus?“ parvus subito interrogavit digito indicans sciurum fusci coloris, qui stipitem vetustae pinus solitariae advolabat cum sono scalprili.

„Ah ineptule!“ omnia erant, qaue Thilus scivit respondere, cum corticis frustula abscissa de stipite cadebant ante pedes suos.

Mater adhûc fodiebat, cum Thilus atque Tobias revertêrunt. Dimidia iam pars agri inversa erat.

Tramina ferriviae unum post aliud sequebantur brevibus spatiis intermissis, et Tobias semper aspectabat ore aperto illa praeterfluentia.

Ipsa mater exhilarata est Tobiae sannis ridiculis.

Prandium, quod constitit e pomis terrestribus et particulâ assi suilli reliquâ, sumptum est in casulâ custodis. Lena hilaris fuit necnon Thilus videbatur benevolê concedere rei inevitabili.

Inter prandium cum uxore collocutus est de rebus variis ad officium suum spectantibus. Verbi gratia ex eâ quaesivit, num animo fingere posset uni sôli orbitae ferriviariae impositas esse quadraginta sex verulas, et similia huiusmodi. Ante meridiem Lena fodere desierat; post meridiem poma terrestria erant inserenda. Illa instanter postulavit, ut Tobias nunc custodiret parvulum ipsaque eum secum duceret.

„Attende...“ Thilus post eam clamavit subito sollicitus, *„attende, ne nimium appropinquet orbitis.“*

Lena non respondit nisi umeris concussis.

Silesianum tramen rapidum cum esset nuntiatum, Thilo custodia erat observanda. Vix ad cancellos constiterat paratus ad officium, cum iam audivit tramen adveniens fremitu sublato.

Tramine conspecto, appropinquante, vapor innumeris ictibus festinatis raccabat e camino machinae nigro eruptus. En: unus – duo – tres radii vaporis lactei ad perpendiculum protuberaverunt, brevique post sibilus machinae per aerem allatus est. Ter sibilavit, breviter, stridulê, anxiosê. *‚Frenant illi’,* Thilus cogitavit, *‚curnam frenant?’* Iterum sibili necessitatis clamosê personuerunt aere repercussi, nunc serie longâ nec interruptâ.

Thilus progressus est, ut ferriviam conspiceret. Vexillum rubrum cum e perâ traxisset machinae instar, prae se protendit super orbitis.

Iesu Christe – num ipsum caecum fuisse? Iesu Christe – o Iesu, Iesu, Iesu Christe! Quid hoc esset? Ibi, ibi inter orbitas... „Sta-a!“ custos summâ cum vi clamavit. Nimis sêro. Massa obscura tramini cum succidisset, inter rotas tamquam pila cummea huc illuc agitabatur. Nonnullis momentis temporis post audita est frenorum crepitatio atque quiritatio. Tramen stetit in loco.

Ferrivia, quae solebat esse solitaria, visa est animari. Traminis dux et conductor silices transcurrêrunt versus finem traminis. Ex omni fenestrâ spectabant facies curiosae, et nunc – multitudo conspissata processit in partem anteriorem.

Thilus anhelabat; annixus est, ne collaberetur tamquam taurus occisus. Verê, ei manu significatur.

„Non!“

Aer disploditur clamore e loco infortunii veniente, sequitur ululatus, qualis êditur e gutture alicuius bestiae. *Quis fuit? Lena?! Non fuit vox Lenae, tamen ...*

Vir properê ascendit orbitam.

„Custos!“
„Quid factumst?“
„Infortunium!“ ... Nuntius territus repellitur, nam oculi custodis mirum in modum lucent. Eius pileus positus est obliquus, capilli rufi videntur horrere.

„Adhuc vivit, fortasse servari potest.“

Nullum responsum nisi singultus.

„Veni celeriter, celeriter!“

Thilus ingenti cum labore se cogit, ut surgat. Musculi eius laxi tenduntur; surgit facie stolidâ et emortuâ. Custos cursat cum nuntio, non videt itinerantium facies pallidas, territas in traminis fenestris apparentes. Mulier, iuvenis e fenestrâ prospicit, mercator itinerarius cappâ Fessanâ indutus, par iuvenum, qui facere videntur iter nuptiale. Quid hoc ad se? Se numquam curasse res istis cistis crepitantibus inditas; - eius aures complentur ululatu Lenae. Ante eius oculos hîc illîc sursum deorsum volitant flavae nubeculae, lampyridibus similes, innumerabiles. Custos territus repellitur – in loco consistit. Egreditur e lampyridibus saltantibus aliquid pallidum, flaccum, sanguinolentum. Frons suggillata, labra livida, super quae stillant guttulae sanguinis nigri. De illo agitur. Thilus non loquitur. Eius facies suffunditur sordido lurore. Subridet quasi mente absens; tamen dorsum flectit; sentit bracchia gravari membris laxis, mortuis; quibus circumvolvitur vexillum rubrum.

Abit.
Quo?
„Ad medicum ferriviarium, ad medicum ferriviarium“ hîc illîc clamatur.

„Eum statim nobiscum feremus“ magister sarcinarius vocat et in curru suo cubile comparat libris vestibusque officialibus compositum. *„Quid nunc?“*

Thilus nullo modo e manibus remittit violatum. Urgetur. Frustra. Magister sarcinarius feretrum curat e curru sarcinario gerendum et virum aliquem iussit patrem adiuvare.

Periculum in morâ. Fistula ducis traminis stridulê sibilat. E fenestris imber cadit nummorum.

Lena se gerit tamquam mente capta. *„En miseram, miseram mulierem“* dicitur in diaetis, *„en miseram, miseram matrem.“*

Dux traminis iterum utitur fistulâ – semel sibilatur – machina êdit vapores albos, stridentes e cylindris, tendines erigit ferreas; nonnullis horae secundis post tramen rapidum fumo vibrante per silvam proicitur velocitate duplicatâ.

Custos voluntate mutatâ puerum semivivum in feretro deposuit. Ibi stratum est corpus eius deformatum, interdum longo spiritu stridente tollitur anhêlum pectus osseum, quod patefit sub camisiâ discissâ. Bracchiola et cruscula non solum in articulationibus fracta posita sunt situ perquam innaturali. Parvi pedis calx proversa est. Bracchia de margine ferĕtri pendentia vacillant.

Lena non desinit vagire; ex eâ evanuit omne vestigium contumaciae prioris. Iterum iterumque narrat historiam, qua purgetur ab omni culpâ incommodi contracti.

Thilus videtur eam non respicere; cuius vultus est atrociter anxius, oculi pendent e filiolo.

Circa factum est vastum silentium funebre. Orbitae et calidae impositae sunt silicibus coruscantibus. Meridie ventis restinctis forestis stat immota, tamquam lapidea.

Viri submissê consiliantur. Ut quam celerrimê veniant ad *Hagenam Friderici,* revertendum esse ad stationem illam, quae sita sit versus *Vratislaviam,* quia proximum tramen rapidum non sistatur ad *Hagenam Friderici* propiorem.

Thilus videtur deliberare, num eat cum iis. In praesenti nemo adest, qui sciat officio fungi. Solâ motione manûs uxori dicit, ut allevet feretrum; quae non audet refragari, quamvis sollicitetur de puero lactante relicto. Ea et vir alienus gestant feretrum. Thilus tramen comitatur usque ad limitem regionis suae officialis, tum consistit in loco diuque tramen oculis sequitur. Subito frontem pulsat palmâ plânâ, ut êdatur sonus magnus.

Itaque videtur expergisci. Nam se somniare, ut heri, sibi ipse dicit. Frustra. Magis titubans quam currens casulam assequitur. Intra eam facie proversâ humum decidit. Eius pileus in angulum devolutus est, horologium diligentissimê cultum excidit e sacculo bracarum, capsula est displosa, vitrum diffractum. Thilo cervix videbatur pugno ferreo tam firmê correpta esse, ut moveri non posset, quantopere anhelans et gemens conaretur se liberare.

Friget frons, arent oculi, ardent guttura.

Campanâ signali Thilus excitatus est. Illis tribus sonis campanae iteratis îdem resipuit. Qui potuit surgere officioque fungi. Pedes ei videbantur plumbo graviores, ferrivia videbatur circumrotari tamquam radius rotae ingentis, cuius axis fuit caput eius; tamen tantum corroboratus est, ut aliquamdiu staret rectus.

Tramen personale appropinquavit. Certê ei inesse Tobiam. Quo propius tramen veniebat, eo magis diffluebant imagines oculis Thili obversae. Denique nihil vidit nisi puerum contusum, cuius ôs erat sanguine oblitum. Tum facta est nox.

Aliquanto post animus Thilo redditus est. Experrectus est prope cancellos in harenâ calidâ cubans. Surrexit, grana harenae e vestimentis excussit, spuit ex ore. Capite paululum levato tranquillius cogitavit.

Quamvis îdem cecidisset, eius index non constiterat. Intra duas horas numeravit secundas et minutas animo fingens, quid interim fieret de Tobiâ. Nunc Lenam cum illo advenisse; nunc stare ante medicum. Quem puero aspectato et attacto caput concutere: *„malum, valdê malum – sed fortasse – quis scit?“* et accuratius conspicatum: *„non“* dicere *„non. Actumst.*“

„Actumst, actumst“ custos surgens gemuit, sed surrexit, clamavit, oculis agilibus huc illuc versis ad laquear fixis manibus sublatis atque mente alienatâ in pugnos complicatis voce, quâ crederes cellam angustam diffringi, clamavit: *„Illum vivere necesse est, dico tibi, necesse est.“*

Iam casulae ianuam denuo pulsanso aperuit, per quam vênit flammeus rubor vesperi, et magis recursavit quam rediit ad cancellos. Ibi paulisper constitit tamquam consternatus, tum subito ambo bracchia pandens usque ad aggerem medium progressus est, quasi aliquid vellet remorari, quod venit e directione traminis personalis. Eius oculi latê aperti visi sunt caeci.

Dum regrediens alicui cedere videbatur, iterum iterumque êdebat inter dentes sonos dimidiam tantum partem intellegibiles: *„Tu – audi – heus manê tu – audi – manê – redde eum – suggillatust – ita, ita, - bene – illam suggillabo – audin’? – heus manê – redde eum mihi.“*

Aliqua res Thilum videbatur praetergredi. Nam custos se vertit et se movit, quasi id persequeretur, in alteram directionem.

„Tu, Minna“ – vox eius reddita est flebilis, infantilis – *„Tu, Minna, audin’? – Redde eum. Volo...“* Manibus aëra explorabat, quasi quem detineret. *„Heus uxorcula – ita – illam mulcabo – istam dolabrâ – viden’? – dolabrâ culinari – dolabrâ culinari istam mulcabo, et ista crepabit.*

Et tum ... ita, dolâbrâ – dolâbrâ culinari, ita – en sanguinem nigrum!“ Ôs custodis spumabat, pupillae vitreae continuo movebantur.

Lenis aura vespertina submissê et continuo flabat super silvam, et e caelo occidentali pendebant flammeae nubes roseae cincinnatae. Per centum ferê gradûs illud invisibile secutus Thilus evidenter animi expers constitit in loco, vultu metum horribilem indicante vir extendit bracchia sua, more precantis, incantantis. Aciem oculorum intendit eosque manu obumbravit, ut quodammodo e longinquo reperiret phantasma illud vanum et inane. Denique manu delapsâ vultus adductus conversus est in languorem hebetem. Se vertit – et retro se traxit, eâdem viâ, quâ venerat.

Ultimo ardore silvae superfuso sol restinctus est. Trunci pinuum ut greges ossium luridi atque putredine exesi rigebant in cacumina sua porrecti, quibus deprimi videbantur velut tabulatis mucidis. Silentium pervasum est pico corticem percutiente. Frigidum caelum chalybeium pervolatum est solâ nube rosaceâ retardatâ. Aura facta est praegelida, qua custos frigeret. Omnia ei visa sunt nova, omnia aliquatenus aliena. Nescivit, quid esset, quod transiret, neque scivit, quae res sibi circumiectae essent. Tum sciurus ferriviam transiluit, ut Thilus resipisceret. Cogitavit de Deo carissimo nescius, quare. *„Deus carissimus viam transiluit, Deus carissimus viam transilit.“* Quam sententiam compluries iterabat, quasi ut inveniret aliquid, quod spectavit ad hanc rem. Interrupit sermonem suum, lux incidit cerebro: *„At mi Deus, istud quidem insanum est.“* Omnia oblîtus in hunc hostem novum se vertit. Studuit cogitationes suas ordinare. Frustra! Inops pervagabatur. Ipse se deprehendit mente fingentem res ineptissimas. Cohorruit inopiae suae conscius.

E silvulâ betullarum propinquâ vênit clamor infantis. Tum coepit furere. Thilus ferê invitus in hunc locum properavit, ubi parvulum invênit, qui a nemine curatus erat, flentem pedesque circumagitantem, sine lectulo in curru cubantem. Quid faceret? Cur illuc agitatus esset? Quae quaestiones rapidissimo flumine commotionum cogitationumque absumptae sunt.

„Deus carissimus viam transilit.“ Nunc scivit, quid hoc valeret. *„Tobias“* – eum ab illâ occisum esse – a Lenâ – cui mandatus esset – *„En novercam, matrem impiam“* dixit dentes frendens – *„et istius subolem superstitem.“* Sensûs eius obnubilati sunt nebulâ rubrâ duobus oculis puerilibus pervasâ; Thilus sensit aliquid molle, carnosum digitis suis interpositum. Gargarismatis et sibilationibus, raucis clamoribus intermixtis, quos quis edidisset, nescientis aures perstrictae sunt.

Tum Thilo visum est cerebro suo aliquid instillari simile laccae sigillariae, ut torpor animi discuteretur. Resipiscens audivit tremulum sonum campanae nuntiae repercussum.

Subito intellexit, quid esset facturus: manus eius soluta est de gutture infantis, qui palpitabat ab eo comprehensus. – Infans respirare annitebatur, tum coepit tussire et clamare.

„Vivit! Deo gratias ago, vivit!“ Infante relicto properavit ad transitum. Nidor obscurus e longinquo ferriviae obvolutus vento humum depressus est. Post se audivit sonos machinae anhelos, quales crederes êdere gigantem aegrotum carptim et aegrê respirantem.

Super plagam erat diluculum frigidum.

Paulo post nubibus fumi discedentibus Thilus cognovit tramen silicum, quo ochimis vacuefactis redeunte operarii transportabantur, qui die in ferriviâ laboraverant.

Hoc tramen, cui spatium temporis vectorii magnum constitutum esset, ubique consistebatur, ut reciperentur operarii hîc illîc occupati, aliique exponerentur. Procul a Thili capannâ inceptum est refrenari. Silentium vespertinum longê pervasum est magnâ quiritatione, crepitatione, clangore, stridore, usque dum tramen consisteret edito unico sono stridulo et diuturno.

Quinquaginta ferê operarii operariaeque distributae erant in ochimas apertas. Ferê omnes constiterunt recti, nonnulli virorum capitibus apertis. Omnibus eorum vultibus et gestibus inerat sollemnitas quaedam aenigmatica. Custode aspecto nonnulli eorum coeperunt susurrare. Vetustiores fumacula tabacaria e dentibus flavis egesta reverenter manibus tenebant. Hîc illîc mulier aliqua versa nares emungebat. Dux traminis descendit ad ferriviam adiitque Thilum. Operarii viderunt eum Thilo sollemniter dextram porrigentem, postea Thilus lento incessu ferê militariter duro adiit ad currum ultimum.

Nullus operarius ausus est eum alloqui, quamvis omnes eum novissent. Tum e curru ultimo sublatus est parvus Tobias.

Qui erat mortuus.

Lena secuta est; cuius facies e caeruleo alba, oculis mulieris circumiecti erant circuli fusci.

Thilus eam ne semel quidem dignatus est aspicere; Lena autem marito aspecto est territa.

Thili mâlae erant macilentae, eius cilia barbaeque pili squalentes inter se cohaerebant, sulcus capillorum mulieri visus est incanuisse. In facie ubique vestigia lacrimarum, quae aruerant, praeterea in oculis lux quaedam vaga, qua mulier perhorresceret.

Feretrum quoque iterum allatum erat, ut corpus mortuum transportaretur.

Paulisper silentium erat formidulosum. Thili animus captus erat vastâ meditatione horribili. Tenebrae obortae sunt. Agmen caprearum seorsim ingressum est aggerem ferriviae. Capreus mas mediis in orbitis constitit. Qui collum flexile curiosê circumvertit, tum machinâ sibilante fulguris instar unâ cum grege evanuit. Hôc momento temporis, quo tramen coepit moveri, Thilus collapsus est. Tramen iterum constitit et incohata sunt consilia de rebus agendis. Constitutum est, ut corpus pueri mortuum interim collocaretur in casâ custodis eiusque loco custos, qui nullo modo poterat redanimari, feretro adhibito ferretur domum.

Ita factum est. Duo viri feretrum gesserunt, cui impositus erat vir animo relictus; feretrum secuta est Lena, quae singultire non desinens facie lacrimis offusa chiramaxium per harenam propulsabat, cui inerat filiolus minor.

Luna inter pinuum scapos ad marginem silvae sita erat tamquam ingens globus igneus purpureusque. Quo altius movebatur, eo magis videbatur deminui, eo magis pallescere.

Denique eadem ampullae similis super silvâ pependit, per omnes fissuras et lacunas cacuminum pellens nidorem luminis remissum, quo facies incedentium impingeretur colore lurido.

Properê, sed cautê processerunt nunc per arbores iuveniles coartatas; tum praeter culturas altis arboribus circumdatas, in quibus lumen luridum collectum erat tamquam receptaculis magnis et obscuris.

Thilus mentis expers interdum anhelabat aut hariolabatur. Compluries manûs comprimebat et studebat surgere oculis clausis.

Aegrê contigit, ut trans Spraviam ferretur; flumen iterum traiciendum erat, ut uxor et filius apportarentur.

Cum ascenderunt parvum acclive vici, inciderunt in nonnullos incolas, qui statim effunderent nuntium infortunii.

Cuncti coloni confluxerunt. Aspectis hominibus sibi nôtis Lena iterum coepit lamentari.

Aegrotus per scalas angustas in habitaculum aegrê sublatus in lecto collocatus est. Operarii statim reverterunt, ut afferrent corpus Tobiae mortuum.

Veteres homines periti suaserunt, ut adhiberentur cataplasmata frigida, quibus Lena obsecuta est sedulê et circumspectê. Quae posuit manutergia in aquâ putei praegelidâ eademque renovavit, ubi primum fronte flagranti vĭri exanimati percaluêrunt. Lena anxiê observabat aegroti respirationes, quae sibi videbantur in minutas horae placidiores fieri.

Mulier sollicitationibus huius diei lassata constituit, ut paululum dormiret; sed quiescere non poterat, sive oculos aperiebat sive claudebat, iterum iterumque iisdem obveniebant res antea factae. Parvulus dormiebat. Quem aliter ac solito parum curaverat. Prorsus mutata erat, nullum restiterat vestigium veteris contumaciae. Ita, ea regebatur ab hôc viro aegroto faciei pallidae, sudore nitidae.

Globus lunae nube obtectus est, ut conclave obtenebresceret et Lena nihil audiret nisi maritum graviter, sed aequaliter respirantem. Lena deliberavit, num lumen accendendum esset. Mulier coepit in tenebris formidare, cum surrectura esset, oculis clausis et omnibus membris gravescentibus obdormivit.

Nonnullis horis lapsis viri cum corpore pueri mortuo reversi invenerunt ianuam domûs latê apertam. Qua re stupefacti per scalas ascenderunt in habitaculum superius, cuius ianua etiam erat latê aperta.

Mulier compluries advocata non respondit. Denique, cum ramentum flammiferum parieti attrivissent, luce emicante patefactum est habitaculum horribiliter vastatum.

„Homicidium, homicidium!“

Lena sanguine offusa erat, Lenae facies foedata, calvaria diffracta.

„Occîdit uxorem, occîdit uxorem!“

Perturbati circumcursabant. Vicini venerunt, quorum aliquis incidit in cunas. *„Caelum sanctissimum!“* Vicinus repulsus est, pallidus, oculis terrore torpidis. Ibi infans positus erat iugulatus.

Custos evanuerat; eâdem nocte factae sunt perquisitiones, sed frustra. Postridie mâne alter custos Thilum invênit inter orbitas ferriviae illo loco sedentem, quo Tobiolus erat tramine obtritus.

Thilus bracchio tenebat fuscum pileolum villosum eundemque non desinebat mulcere atque palpare, quasi esset aliquid animatum.

Custos nonnulla ex eo quaesivit, sed nullo responso accepto mox animadvertit se agere cum homine insano.

Custos ad obicem officio fungens certior factus telegraphicê rogavit de auxilio. Nunc complures viri illum benevolê adhortantes conati sunt ex orbitis elicere, sed frustra.

Tramen rapidum, quod eo tempore praetercurrebat, sistendum erat; insanus, qui mox coepit terribiliter furere, ne vi quidem de ferriviâ potuit removeri nisi demum accedente maiore multitudine virorum ferriviariorum.

Vinciendae fuerunt Thili manûs pedesque et biocolyta interim requisitus custodivit eum Berolinum in phylacam inquisitoriam transportandum, unde primo iam die translatus est in *Nosocomii Caritatis* partem mente captis destinatam. Cum traditus est nosocomis, adhuc manibus retinebat fuscum pileolum, quem custodiebat aemulâ cum diligentiâ et amore blandissimo.

FINIS

GLOSSARIUM

acicula,-ae f. orig. *(Kiefern-)nadeln*
est foliolum coniferarum (e.g. abietum, pinuum) acui simile.

agger,-eris m. (sc. ferriviae) orig. *Bahndamm*
est collis terrae accumulatae, cui supersunt regulae et orbitae ferriviariae.

antiae,-ārum f.pl.
sunt capilli frontem obtegentes

āreola arēnōsa orig. *Plattform*

***atmosphaera**,-ae f. orig. *Atmosphäre*
est stratum aeris, quo terra circumvolvitur

***ātro-viridis**,-e orig. *schwarzgrün*
est genus coloris

***Berolīnum**,-ī n. orig. *Berlin*
est urbs Germaniae principalis

biocolyta, -ae m. orig. *Gendarm*
i.q. astyphylax; est vigil publicus gradûs inferioris

+botō,-ōnis m. orig. *Knopf*
est orbiculus durus, quo aperturae infixo partes vestimenti inter se coniunguntur;
e.g. camisia et bracae concluduntur botonibus, nisi adhibetur clusura tractilis.

+Vratislāvia,-ae f. orig. *Breslau*
est urbs, hodie pertinet ad Poloniam. Nomen Polonicum est Wrocław, nomen bohemicum Vratislavia spectat ad Vratislavum I. Ducem Bohemiae, qui conditor urbis fuisse refertur.

***cafea**,-ae f. orig. *Kaffee*
i.q. potio arabica, e fabis *Coffeae arabicae* confecta.

campāna sīgnālis orig. *Signalglocke.*
est campana, quo aliquid annuntiatur, indicatur.
cfr He.504, s.v. Signalpfeife: fi̲stula sîgnâlis.

cancellī,-ōrum m.pl. (sc. *ferriviāriī) orig. *Barriere* (= Bahnschranke)
cancelli demittuntur ante transitum ferriviae, ne quis orbitam transgrediatur tramine appropinquante.

capanna,-ae f. orig. *Bude*
est casula

cappa +Fessāna orig. *Fez*
est integumentum capitis more Maroccano confectum

carrus carbōnārius orig. *Tender*
est carrus traminis, cui insunt carbones machinae vectoriae destinati.

casa/casula custōdiāria orig. *Wärterhäuschen*
casa custodis ferriviarii

cataplasma,-atis n.
frigida cataplasmata orig. *kalte Umschläge*
sunt panni aquâ frigidâ umidati, quibus obvolvitur frons aegroti

chīramaxium,-iī n. orig. *Kinderwagen*
est vehiculum manubriatum et quadrirotatum, quo infantes vehuntur.

clāvis mēchanica orig. *Schraubenschlüssel*
est instrumentum fabrile, quo verula matrici infigitur. Ne confundatur cum *versabulo (Theod. Schraubenzieher/-dreher, Angl. screw-driver): cum versabuli cuspis rimae capitis verulae imponatur, clavis mechanicae parte caput verulae circumcluditur.

concentūs bombisonī orig. *summende Akkorde*

crepō, crepuī, crepitum, crepāre *(sensu translato)* orig. *verrecken*
est nomen moriendi vulgare et contemptibile. cfr VULG.Act.apost.1,18 crepuit medius.

crūsculum,-î n. orig. *Beinchen*
est deminutivum cruris.

***cyanoleucus**,-a,-um orig. *blauweiß*
est genus coloris e caeruleo in album desinentis.

denticulus,-ī m. orig. *Spitze*
dentĭculî subtĭliter tĕxtî orig. *feingeklöppelte Spitzen*
est pars operis textilis subtilissimi

diaeta,-ae f. orig. *Coupé (Eisenbahnabteil*)
est pars traminis, in qua sedent iter facientes.

dolābra culīnāris orig. *Küchenbeil*
genus asciae vel securis coquinarium, quo magnae carnes dissecantur.

dux trāminis orig. *Zugführer*

excetra,-ae f. orig. *„Tier“ (= „Hausdrachen“)*
sensu originali est serpens vipera venenosa, sed sensu translato est mulier maligna et litigiosa et malevola, qualis fuit illa Lea, uxor Thili secunda.

***ferrivia**,-ae f. orig. *Eisenbahn*
i.q. via ferrata, quae constat ex orbitis et regulis et aggere ferriviario eqs, in quibus vehuntur tramina ferriviaria.

***ferriviārius**,-a,-um orig. *Eisenbahn//*

ad ferriviam spectans

+**forestis**,-is f. orig. *Forst*
silva, quae colitur a saltuario. Est verbum mediaevale.

frior, friārī orig. *auseinanderbröckeln*
glebae terrarum aridae in frustula si dilabuntur, dicuntur friari.

***fūmisūgium**,-iī n. orig. Tabakspfeife
i.q. pipa. instrumentum fumum tabacinum sugendi.

gerrae! orig. *Unsinn! (= „Quatsch!“)*
est verbum abiectum et vulgare, quo denominatur res inepta et inutilis.

***grānītēs**,-ae m. orig. *Granit*
est genus lapidis durissimum

***grânîticus**,-a,-um orig. *Granit//*
ad granitam spectans

+**grīseus**,-ea,-eum orig. *grau*
genus coloris, quod interest inter album et nigrum. cfr Fr. gris.

***icterīnus**,-a,-um orig. *gelbsüchtig. gelbstichiges Zifferblatt* = icterîna tabula hôrâria.
est genus coloris flavi vel gilvi. Icterus est morbus iecoris, quo efficitur color faciei flavus. Itaque color tabulae horariae vetustate effectus dicitur icterinus.

incantāmentum,-ī n. orig. *Beschwörungslied.*
est canticum magicum, quo spiritûs appellantur. In contextu huius fabulae est lusus, quo pueri (et Thilus lusus pueriles docens) imitari volunt mores indianorum Americae.

lacca sigillāria orig. *Siegellack*
est lacca, qua epistulae pretiosae obsignantur.

lacticulōsus,-a,-um orig. *Grünschnabel*
puer lacticulosus modo demum lactare desiit; sensu translato est immaturus et praecocis sapientiae.

lentitūdō animī orig. *das Phlegma; die phlegmatische Unempfindlichkeit, - Gelassenheit, - Gleichgültigkeit*
lentus vir est is, cuius animus vix umquam commovetur.

***lībellula**,-ae f. orig. Libelle
Libellulae sunt magna insecta volatilia, qui aestate saepe videntur prope stagna. Alis sunt vitreis, quae quadamtenus similes sunt librae sive libellae, id est cuidam instrumento planitiae indicandae. Inde nomen exortum est. Ordo zoologicus vel entomologicus, ad quem spectant haec insecta, appellatur „Odonata“.

libellus comparsōrum orig. *Sparbuch*
libellus, in quo indicatur pecunia condita.

māchina vectōria orig. *Lokomotive*

est machina, qua trahuntur tramina ferriviaria.

macula rētiāria orig. *Netzmasche*
maculae retiariae sunt foramina retis.

magister *ferriviae orig. *Bahnmeister*
est officialis vel magistratus ferriviarius

magister sarcinārius orig. *Gepäckmeister*
est officialis ferriviarius, qui curat sarcinas.

mālus *tēlegraphicus orig. *Telegraphenmast/-stange*
est i.q. mali electriductûs.

***tēlegraphicus**,-a,-um orig. telegrafisch
i.q. spectat ad telegraphiam.

megaera,-ae f. orig. *„das Mensch“*
monstrum femininum.

mercātor itinerārius orig. *Handlungsreisender*

merenda,-ae f. orig. *Vesperbrot*
sunt cibi, qui comeduntur tempore postmeridiana (inter quartam et quintam horam).

Nosocomīum Cāritātis orig. *Charité*
est illustre nosocomium Berolinense

nosocomus,-ī m. orig. *Krankenwärter*
is qui curat aegrotos in nosocomio sive valetudinario.

***novellisticus**,-a,-um orig. *novellistisch*
ad fabulas novellas spectans.

obiex, obicis c. (sc. *ferriviarius/-a) orig. *Block.* - **custōs obicis** orig. *der Wärter am Block*

ochīma,-atis n. orig. *Waggon, Eisenbahnwagen*
est currus ferriviarius

orbita,-ae f. (sc. *ferriviāria) orig. *(Eisenbahn)gleis*

pāla,-ae f. orig. *Spaten*
est instrumentum fodiendi hortulanorum

pavīcula,-ae f. orig. *Bolzen*
res quae pavitur.

pēra *pyrotheciōrum orig. *Patronentasche*
est theca, cui insunt emboli.

phōtographēma,-atis n. orig. *Photographie*
imago photographica

phȳ! orig. *Pfui!*
est interiectio, qua taedium indicatur.

phylaca,-ae f. inquīsītōria orig. *Untersuchungsgefängnis*
est custodia, in qua detinetur captivus, cuius culpa nondum est certa.

pileolus villōsus orig. *Plüschmützchen, Pudelmützchen*
est parvus pileus (integumentum capitis), qui constat e capillis bestiarum hirsutis.

pīpula salicea orig. *Weidenpfeifchen*
est fumisugium e ramulis salicis confectum

planca,-ae f. orig. *Planke*
est lignea tabula maior non bene limata, qua sternitur aut sŏlum aut stega navalis.

praedicātor,-ōris m. orig. *Prediger*
est parochus.

praeterfluō, praeterflūxī, praeterfluere
Quî convîcia uxôris înfînîta tacitus sinębat praeterfluere... orig. *Die endlosen Predigten seiner Frau ließ er gewöhnlich wortlos über sich ergehen.*

puer lactāns orig. Säugling

***pyrothēcium**,-iī n. orig. *Patrone*
est telum proiectile, quod constat ex capsula et glande vel globulo et pulvere pyrio. Idem imponitur sclopeto vel pistolio, ut manucla repressa et pulvere pyrio disploso rapidissime e fistula emittatur.

quadra pānis +būtȳrāta orig. *Butterbrot*
quadra panis, quae oblĭta est butyro.

rāmentum sulpurātum orig. *Schwefelholz*
est parvus baculus ligneus, cuius cuspis sulpure infectus fricando inflammatur.

rāmicēs rumpere orig. *sich die Plauze ausschreien*
est tanta voce clamare, ut (paene) pulmones ex ore exigantur.

rēgula,-ae f. orig. *Schiene*
pars viae ferratae sive ferriviae recta

sēbācium,-iī n. orig. *Talglicht*
est candela, quae constat e sebo, id est ex adipe.

+Silēsia,-ae f. orig. *Schlesien*
est regio olim Germanica, quae nunc spectat ad Poloniam. Polonice dicitur Sląsk, Bohemice Sleszko.

+Sprāvia,-ae f. orig. *Spree*

est fluvius, quod fluit per Berolinum.

statiō custōdiae orig. *Posten des Wärters*

studiolum,-iī n. *Studie*
opusculum scriptum (MARC.AUREL. ap. Frontonem: Fronto ad M.Caesarem 4,5 p.68,21 N.)

tabula hōrāria orig. *Zifferblatt*
est lamina horologii, in qua indicantur numeri horarum.

***tēlegraphicus**,-a,-um orig. Telegrafen-, telegrafisch
ad telegraphiam spectans

***tēlegraphicē** (adv.) orig. *telegrafisch*

***tendō**, tendinis f. orig. *Sehne*
tendinibus tenduntur musculi.

thōrācium,-iī n. orig. *Mieder*
est vestimentum mulierum obsoletum, quo pectus et venter obtegebantur.

***Tobiolus**,-ī m. orig. *Tobiasschen*
est deminutivum nominis Tobiae.

trāmen, trāminis n. (sc. *ferriviārium) orig. *(Eisenbahn)zug*
cfr Angl./Fr. train, Ital. treno.

trāmen citātum orig. *Eilzug*

trāmen commūne orig. *Personenzug*

trāmen rapidum orig. *Schnellzug*

trāmen silicum orig. *Kieszug*
est tramen, quo silices transportantur.

+verula,-ae f. orig. *Schraube*
Gr.helix, Angl. screw, Fr. vis, Ital. vite, Hisp. tornillo. i.q. cochlea (VITR., PLIN.nat.18,317). instrumentum fabrile metallicum (plerumque chalybeium), quod torquendo vel circumvertendo imprimitur duabus partibus metallicis aut ligneis aut similibus, ut eaedem inter se coniungantur. Verula constat ex capite et scapo et matrice. Caput est rima vel sulco instructum, scapus habet „rugas per cochleam bullantes“, ut ait Plinius (PLIN.nat.18,317).

zinzilulō, zinzilulāre orig. zwitschern
Aves canentes vel sonos êdentes dicuntur zinzilulare.

HANC FABULAM NOVELLAM
SCRIPSIT
GERHARDUS HAUPTMANN
TOGA ORNAVIT
LEO LATINUS